



2
13



4


Ma 196

oo or

~~oo~~₄

Script. Graec. in Quarto N. 27.

II 2. a. 20.



THESES
POLITICÆ,

DE QVIBVS,

D. O. M. A.

PRÆSIDE

PHILIPPO
SCHERBIO,

publicè disputabit

JOHANNES GEORGIUS BÖHNE
POMERANUS,

*In Inclÿta Noribergensium Acade-
mia Altorfina,*

AD DIEM MAII,

ANNI

MDCCII.

NORIBERGÆ,

*In Officina Typographica PAULI
KAUFMANNI.*



NOBILISSIMO ET PRU-
DENTISSIMO VIRO,

DN. IOHANNI
HENRICO FLEMINGK,
ILLUSTRISSIMI POM. DUCIS
BARNIMI & C. CONSILIARIO DIGNIS-
simo, cognato suo plurimum,
honorando,

*Hasce Theses Politicas in observantia summa,
caritatisq; debita testimonium,*

L. M. Q.

D. D. D.

*Johannes Georgius Böhne
Respondens.*

THESES POLITICÆ.

*Comitatus politice amicus a suis in tractatu...
...primis capis legibus ad se habent.*

THESIS I.

*Fine hinc disciplina, o d finis. At conditio
ho unius publ. d finis juris. juris. unius
us publici ut per dicit. jus u. publ. h
do inpub. & unius juris d s
juris hinc pars.*



CORPUS Politicorum Aristotelis, est constitutio & conservatio Rerumpublicarum.

I I.

Eum in primis sequitur & assequitur, 3. 4. 5. & 6. libris.

I I I.

Id quod ex propositione libri tertii, & aliis locis, liqui-
dò perspicere licet.

I V.

Nam primus quidem disputat de civitate per se, itemq;
de vico, & domo, & partibus domus, quæ sunt civitatis ma-
teria.

V.

Verùm, quia materia apud Philosophos, non est pars
simpliciter, sed necessaria & ex hypothesi: is judicio sapien-
tissimorum hominum, propriè & primò ad scientiam civi-
lem non pertinet.

V I.

Secundus, verè est *πολιτικὴ τέχνη*, & ex consuetudine Phi-
losophi, aditum munit ad scientiam principem & archi-
tectonicam.

V I I.

Septimus & octavus, perspicuè beatam (de sententia Ari-
stotelis) Rempublicam, ostendunt.

I I X.

Quatuor igitur interpositi libri, quos diximus, nervi
sunt & ossa propositæ disciplinæ.

I X.

In qua quidem *Πολιτικῶν* pertractanda, non discessit
Aristoteles ab divino suo ingenio. Duobus enim priori-
bus libris persequitur ea quæ sunt *ἑσσιώδη*, reliquis duobus *παι-
διώδη*.

X.

Idem hoc fecit in prima Philosophia: idem in secunda:
idem de Syllogismo: idem de Demonstratione.



X I.

Τὰ ἐπιώδη scientiæ hujus, sunt disputatio de cive, de Republica, de imperandi jure, itemque de speciebus synceris & temperatis, de differentiis, de partibus Rerump. quæ sunt comprehensa libro tertio & quarto.

X I I.

Τὰ Πρωσιώδη ea quæ differuntur de earundem seditionibus, mutationibus, conservationibus, & institutionibus, 5. & 6. libro explicata.

X I I I.

Prudenter autem à corpore Politices sejunxit Aristoteles historiam Politiarum, qua τὸ ὅτι ἐστὶ, sive ἡ δέχνη καὶ τὸ πρῶτον colligitur: etsi malo fato libri illi perierint.

X I V.

Eodem gravissimo judicio in Physicis, seorsim historiam animalium proposuit, neque cum libris de anima & partibus animalium, qui in hoc genere sunt Πρωσιμωνικῶν, confudit.

X V.

Quod sibi jure imitandum putavit magnus ejus discipulus & scholæ successor Theophrastus: qui itidem separatim egit de historia plantarum, separatim de causis earum.

X V I.

Prudenter & illud ab nostro Philosopho factum, quod in Nomothetica sua scientia, non descendit ad tenuium rerum admonitiunculas, sed summa rerum fastigia ostendens, cætera iis, qui jam ad clavum Reipublicæ sedent, moderanda reliquit.

X V I I.

Ista enim sive minora, sive inferiora, etiam apud Platonem secundis Legum latoribus committi solent.

X I I X.

Quemadmodum idem ille Plato, in mundi quoque gubernatione DEUM deorum facit hanc curam relinquere diis secundis. Ita enim in Timæo docetur.

Quod

XIX.

Quod si ex Ammiani historia discurrere per negotiorum celsitudines assueta, non humilium caussarum minutias indagat, quanto magis scientia architectonica?

XX.

Certè ne Vitruvius quidem de Architectura, in id vitium incurrit.

XXI.

Utramque tamen hanc prudentiæ laudem, Bodinus in suis commētariis de Republica, vix ac ne vix quidem apud severiores censores retinere potest.

XXII.

Nam & longissima Politiarum historiâ, eos oneravit: & non ita magnarum rerum, imò quotidie mutabilium disertatiunculis, scientiæ βασιλικῆς majestati aliquot locis, parum consuluit.

XXIII.

Sed nimirū Aristoteles eternitati, Bodinus seculo scripsit.

XXIV.

Illud in τὸ πρῶτον ἀποψημῆς rectè vidit Bodinus, aliud esse probabiliter disputare, aliud arcana scientiæ fundamenta tenere. Sic enim cap. 6. lib. 4. Hæc, inquit, argumenta speciosa quidem videntur iis qui arcana imperii, & abditam tuendæ majestatis disciplinam, non satis perceptam & usu cognitam habent.

XXV.

Etiam in eo virum laudo, quod ex regni institutis negat judicium faciendum de Democratia & aliis formis, neque ex his de regno.

XXVI.

Utrumq; hoc ex fontibus manavit Aristotelis, qui vetat scientias tractare, tum per communia, tum per aliena.

XXVII.

Vehementer tamen miramur, eum in primo statim scientiæ suæ limine, ausum hæc verba ponere: Definitionem Reipublicæ ab iis qui de Republica scripserunt, prætermittam esse.

Qua est communitas q. m. w. p. r. h. a. n. d. i. s. p. p. a. n.
culpa est carnis is q. in alium po
dicare. In libro 5. de civitate
historias applicatis: ut, laudi
is autem addunt loco v. p. p. h. e. l. e.
politice universitatis in h. i. s. t. o. r. i. a. s.
nam. Quod est fons civitas v. m. i. t.
g. l. t. a. n. d. i. u. m. o. u. t. i. t. i. s. t. i. s. c. o. n. s. u. l. t. a. n. d. i.
una pars e. politice. Egypta faciunt
no
in g. s. t. i. t. u. t. i. o. n. e. m. i. m. p. u. b. l. i. c. a. s. m. a. g. i. s. v. e. l.
delinunt, ut id q. d. v. e. l. h. a. n. t. i. s. p. a. q. q. i.
h. a. n. t. a. u. t. q. d. s. i. n. t. r. e. p. u. b. l. i. c. a. m. a. g. i. s. d. o.
q. p. t. i. q. q. e. h. e. l. i. m. e. n. d. i. s. e. e. t. f. u. n. d. a. m. e. n. t. a.
m. a. g. i. s. i. l. l. i. s. g. l. i. t. a. t. i. s. q. h. i. s. d. e. b. e. t. i. s.

q. d. unum est principium & ordinatum. ab aliis ordinatum a seipso. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

longe est pro. q. d. unum est principium & ordinatum. ab aliis ordinatum a seipso. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

quis ista forma formatur.

XXIX.

Quid id? verba illa Aristotelis (hunc unum enim sat est ei nunc monstrasse) 3. Polit. cap. 5. quid, inquam, sibi volunt? Respublica est ordo civitatis, tum aliorum magistratum, tum ejus maximè qui omnium summam potestatem habet?

XXX.

Imò apud eos, qui subtiliorem definiendi artem didicerunt, non dubitamus, quin definitio Aristotelica præ Bodiniana primas sit latura.

XXXI.

Neque solùm in ratione definiendi, sed etiam dividendi, demonstrandi, disponendi, tum partes cujusque artis, tum ipsam totam artem; aliisque ad modum & formam pertinentibus, frustra sunt nostri homines, qui Aristotelem, abditas rerum causas & καθόλου apodicticum investigantem, allatrare solent.

XXXII.

In iis autem quæ ad τὰ ὑποκείμενα, sive ad materiam spectant, facile concesserim, te quædam scire, quæ immensæ subtilitatis vir ignoravit.

XXXIII.

At laus & perfectio prima à forma est.

XXXIV.

Quid quæris? Ut multi sunt thyrsigeri, pauci Bacchi: ita multi somniant, ait Plato, pauci philosophantur: idque propter ignorationem Analyticorum, quæ sciendi & philosophandi artem profitentur: si quid modò Aristoteli & Galeno credendum est.

XXXV.

Hinc in divisionibus etiam Rerum publicarum, earumque divisionum fundamentis, non assentimur Bodino, qui hîc quoque fontes Aristot. liquidissimos temerè perturbavit.

XXXVI.

Nam differentia sumpta à numero aut multitudine eorum qui Rempub. gubernant, non est essentialis, sed accidenta-

denta-

dentalis: ita tamen ut ferè semper essentialem consequatur.

Essentialis est, spectare commune aut privatum suum commodum: quæ parit rectas aut à rectis declinantes Respublicas (quas *παγκράτους* Aristoteles eleganter nominat) quæ etiam omnes gubernandi rationes & modos, omnia civitatis officia, statumq; ejus universum, vehementer variat.

Prius illud oritur ex justiciâ & prudentiâ, nunc præstantissima, nunc præstanti, nunc communi & mediocri, si non virtute in omnibus perfecta, saltem inchoata.

At contra in declinantibus Rebuspublicis ratio potius habetur, nunc quidem divitiarum, nunc nobilitatis tantum, nunc ordinis alicujus aut dignitatis, nunc libertatis & paupertatis.

Quòd verò objicit Bodinus, isto modo Respublicas posse quoque constitui, habitâ solum ratione pulchritudinis, aut roboris aut longitudinis corporis.

Responsio in promptu est: hæc mores hominum & fundamenta Reip. non ita variare: paupertatem tamen & divitias, nobilitatem & ignobilitatem, variare: ut præclare disputatur ab Aristotele 2. Rhet. de moribus divitum & nobilium.

At ferè ita fit, ut divites aut nobiles sint pauci, pauperes & ignobiles, liberi tamen homines, sint multi: differentia igitur ab accidente petita, magnam partem cum essentiali conjuncta est, quam Aristoteles prudenter monstravit.

Idem dicimus de rectis Reip. formis, publicam utilitatem spectantibus: Aristocratiam esse, non si pauci, sed si optimi & omni virtute præstantes, quos plerumque conti-

git paucos esse: Politiam autem propriè esse, si amantes virtutis, & virtute aliqua, bellica præsertim præditi, qui multi esse possunt, civitatem administrant.

XLIII.

Sed quid hîc Bodinum multis audiamus, cum ipsemet seipsum non audiat, lib. 3. cap. 3. In universum, inquit, muneribus tribuuntur ex virtute aut prudentia cujusque, vel ex opibus, vel ex nobilitate, vel ex his inter se conjunctis. Nulla est enim Resp. tam barbara, quæ nullam harum rerum, in tribuendis muneribus rationem sequatur.

XLIV.

Hîc igitur quoque ut alibi non rarò (si verum dicere licet) præcipiti quodam judicio sive præjudicio, abreptus est doctissimus Bodinus.

XLV.

Neque dissimulandum hoc loco, idem videri nobis de mixtis & temperatis Rebusp. quas dum alibi magno conatu tollit, multis tamen locis ponit.

XLVI.

Tollit, quia majestatis jura cum aliis communicari non possint.

XLVII.

Ponit, quia dogmatis hujus inopinati ipsemet immemor, lib. 4. cap. 6. sic de Helvetiis scribit: Nihil populo tribuitur præter magistratum creationem: cætera majestatis jura, modicè vel etiam intra modum cum plebe communicantur. Et lib. 2. cap. 7. Democratias Helvetiorum alias aliis populariores concedit.

XLVIII.

Dices: at enim sine mixtione?

XLIX.

Verba audio, rem non intelligo. Nonne enim hoc pendet ab suis cujusque Reip. fundamentis & elementis primis (ὀμνύς Ἰέλκός appellat Aristoteles) quæ institutis Democra-

mocra-

mocraticis plus aut minus admisceri voluerunt instituto-
rum Aristocraticorum aut Oligarchicorum?

L.

Neque enim, ut vinum tenue & aquosum, aliud qui-
dem suapte vi & natura tale est, aliud $\kappa\rho\acute{\alpha}\sigma\eta$ & temperatione
nostra: ita etiam Respublicæ quædam, naturâ suâ, nullâ
aliorum institutorum admixtione generosiores aut dilu-
tiores esse possunt.

L I.

Quippe: Politica enim hæc prudentiam humanam,
& populorum consentientem voluntatem; non natu-
ram, ut causam principem, agnoscunt.

L II.

Verum quid argumentamur? Tota ipsius disputatio de
justicia harmonica, quam tantoperè extollit, & tanquam
filiolam exosculatur suam, apertè demonstrat, varii gene-
ris instituta, salutariter sæpè permisceri.

L III.

Illa enim justitia per ipsummet conflatur ex propor-
tione Geometrica & æqualitate Arithmetica: quarum il-
lam homines nobiles & divites, hanc tenues & plebei, ur-
gere solent. Verba Bodini sunt, cap. 6. lib. 6. Arithmeti-
cam justiciæ rationem peperisse status populares: contra
qui nobilitate & opibus præstabant, Geometricam adama-
verunt rationem.

L IV.

Utriusque autem prudens temperatio, sæpè graves se-
davit seditiones.

L V.

Quamobrem contra nobis videtur, quàm ille conten-
dit: Respublicas plerasque omnes esse potius mixtas, syn-
ceras rarò ullas reperiri; nihilominus rectè eas proponi,
tanquam

Quædam enim respublicæ generosiores sunt ac spiritus violenter
nas leges inter se generosiores ac discrepantibus motum opo.
Similiter quædam respublicæ sunt quæ spiritus mixtas
sunt locum habent.

Fingra de 5 amos de p. 100

tanquam extrema quædam, ut in elementari doctrina fieri solet.

LVI.

Formæ enim synceræ & usquequaque recte, præstantiores sunt, quàm ut eas vita communis suscipere possit. Non enim vivitur cum perfectis hominibus.

LVII.

At Tyrannis extrema, omnis iniusticiæ verissima Idea: Ochlocratia extrema, thesaurus omnium malorum: paucorum impotentissima potestas & libido, etsi rarò & ad breve tempus, exoriuntur tamen aliquando & aliquandiu sustinentur.

LIX.

Neque verò hic tabulam illam arripies, cui sæpè innititur Bodinus, gubernationis quidem mixtionem esse, non autem status. Et hanc quidem ignorationem Aristoteli multos errores objecisse.

LIX.

At Philosophum hoc discrimen optimè vidisse, liquet ex cap. 5. lib. 4. & cap. 1. lib. 8. Liquet etiam ex lib. 5. cap. 6. ubi Oligarchiam Pharsaliorum diu durasse ait, quia pauci illi seipfos benè gesserint.

LX.

Quid porrò prohibet si gubernationis est laudabilis temperatio, quo minus primis Legumlatoribus in ordinando Reipublicæ statu eadem placuerit, eamque legibus fundamentalibus sanctè servandam jusserint?

quædam est respublica, quæ magis principum regit ad eorum spectans utilitatem: Aristocratia est respublica, quæ a paucis, sicut etiam regitur
et eorum utilitatem spectans. Respublica prope ut dicitur est respublica, in qua a multitudine eorum utilitatem spectans, sicut etiam regitur
regitur. Tyrannis est principum magis aut proprium magis ipsi magis quæ spectans utilitatem spectans. Oligarchia est paucorum
dominatio ad solam eorum utilitatem spectans. Democracia est populi dominatio, ut solum regitur
magis spectans.

EPII

EPIIMETRA.

I.

SI verum est quod Aristoteles aggrediens ad civilem scientiam dicit: Eum qui de Republica agat, contemplari & quae unaquaeque, & qualis sit (quia scilicet disputatione de essentia & affectionibus propriis cujusque rei explicatio constet) fortassis non ita difficile iudicium erit, quae artes hodie nomen & dignitatem τῆς ἀριστερῆς πολιτικῆς mereantur, quae non mereantur.

II.

Pertinet quidem ad decus regni, maximas Reipub. opes in unum conferri: sed subest tamen semper probabilis metus, ne ad Tyrannidem succrescentium regum, & ad alia mala, quae dulci fortuna ebriis, raro non adesse solent, viam ista sternant: cum praesertim intuemur quae sapientissimum Lycurgum de regibus Lacedaemoniorum (ex tam incluta Herculis familia prognatis) cura sollicitaverit, & quot viis obviam illis ire studuerit.

III.

Hinc Plato quoque geminam regum Laconicorum progeniem, divina providentia attribuit: ingenio humano, divina vi mixto, senum potestatem: Ephorum magistratum, tertio servatori.

IV.

Notum est in pace, quam exiguam habuerint potestatem, eamque distractam: notum etiam in bello, Aristotelem & alios mirari, quod praefectura, lassis lege illis non fuerit adempta (etsi eam his gerere per leges nemini concessum fuit) notum denique, uxores eorum (quoniam pestis humani generis, ut ait Plinius, interdum est foemina) non fuisse reginas appellatas.

AD

IN DISPUTATIONEM POLITICAM
NOBILISSIMI JUVENIS DN. JOANNIS
GEORGII BÖHNEN POM.

Hendecasyllabi.

Quæ sunt edita publici saporis
Nuper scripta Politici, nec artis
Fœjuna aut variæ eruditionis,
Nec dicam tamen esse amussitata,
Semper judicii regente normâ;
Præsertim in veteres ubi haud decenter
Væcordem parat excitare rixam,
Sui inscitia temulenta amore.
Sed vulgi sapiant ut hæc palato;
Obbrutescet sibi quæ doctiorum:
An præ nectare nauteam probabit?
Non tu, si sapias, erudite SCHERBI.
Quin linquens aliis putres lacunas
Hauris fontibus ex DEÛM beatis,
Veri nectaræque imbuis juventam,
Quin nostra quoque principes juventa;
Quos inter studio modestiâ quæ
Luces, flos juvenum, polite BÖHNE.

Michaël Virdungus.

F I N I S.

Genehmigt:
Amt für Volkshildung
Halberstadt
Prüfungskommission




37²/₁₃

ULB Halle 3
006 567 762



VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13



SES
 TICAÆ,
 VIBVS,
 M. A.
 SIDE
 IPPO
 RBIO,
disputabit
 ORGIUS BÖHNE
 ANUS,
ergensium Acade-
torfina,
 MAII,
 NI
 IO CII.
 BERGÆ,
graphica PAULI
 MANNI.

